

loquitur lectori^a, acsi ore ad os et presens cui legatur adesset, carius ergo accipitur et honorabilius^b tenetur. Huic operi tam preclaro operam dantes oportet cognoscere^c salutationes unicuique preponendas esse epistolę. In qua lex ista servatur. Si minor scripserit maiori, maior persona preponetur, minor subsequetur. Si maior minori, eadem semper precedat. Si par pari, utraque potest preponi et subponi iuxta placitum scriptoris. Salutatio vero diversa qualitate personam et ordinem designet. Aliter enim inferiorem, aliter superiorem, aliter salutamus equalem. Verum primo de modis, dehinc de salutationibus seriatim tractabimus.

Ut tres sunt ordines hominum, sic sunt tres epistolarum species, sublimis, mediocris, exilis. Quando minor scribit maiori, nuncupamus sublimem ob duas causas, vel quia de inferiori ad superiorem ascendit, vel quia tria in se habet accidentia: blanditiam in principio, causam ad blanditiam in medio, petitionem in fine. Alioquin, nisi hi servantur ordines, et nisi honesta sit compositio, erit absque ordine rethorico, plena vitio. Hoc Tullius monstrat in rethoricis, hoc monstrat quilibet sapiens in epistolis suis. Hic usitatus modus est in certis locutionibus. Nos quoque hec per singula monstrabimus in sequentibus.

Quę a maiori ad minorem mittitur, ob duas causas exilis dicitur, vel quia descendit, vel quia unum habet accidens. Inperium habet in dominis, in aliis petitionem, quod maioribus personis cōvenit. At si quis contra asserat maiores quoque personas et dominos persepe blandiendo postulare, respondendum est, quia tunc non servant^d ordinem suę dignitatis. Eo enim ipso quod^e postulat inferior esse demonstratur. Omnis namque postulans minor est eó qui postulatur.

Que vero a pari ad parem epistola scribitur, mediocris idcirco dicitur, quia inter sublimem et exilem media est nec ascendit ad superiorem nec descendit ad inferiorem, sed servans parilitatem duo in se continet accidentia, blanditiem et petitionem.

Nunc de salutationibus succincte tractemus. Salutationes, ut diximus, epistolis preponendę diversę per diversitates^f personarum sunt adhibende. Aliter enim

a) 'loquitur lector vel legator' Hs. (Letztere beiden Worte scheinen mir nur Glosse zu sein). b) 'honorabilius et' Hs. c) 'gnoscere', g über o geschrieben Hs. d) 'servat' Hs. e) 'q (qui)' Hs. f) 'diversitates' Hs.